



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Humilitatem, suiq[ue] humiliationem vt quis obtinere possit, quænam  
facienda: humilitas vera quæ sit, quantaq[ue] sit bonitas Dei erga  
homines. Cap. XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Humilitatem sui que humiliationem vt quis obtinere possit  
quenam facienda: humilitas vera que sit:  
quantaque sit Dei bonitas erga  
homines.*

## CAPVT XXXV.

Humilitas  
ac humilia-  
tio sui quo-  
modo exer-  
cenda sit.

**C**Ogitando accipe duos pannos mundos, vnum conserua mundissimum, vt syndonem albisimum, atque purissimum, in quem nulla venerit macula. Alterum per omnia trahe sterquilinia omnibus immundicijs, omni foetore, omnium cadauerum & stercoreum putredine reple, ad eod vt cuiusque ipsi- sum inspicienti nauseam prouocet, ac vomitum, imò ad illum nemo conuertere possit oculos præ foetore, putredine, & abominatione. Eiusmodi foetidum pannum te esse cogita, alios purissimam æstima homines syndonem. Quia & si alij etiam quædam peccata contraxerint, hæc tamen in comparatione delictorum tuorum sunt iustitiæ: & ipsi sunt quasi purissimus pannus, tu verò pannus & execrabilis. Nam propter innumerabilem grauissimorum peccatorum tuorum enormitatem ac multitudinem, aliorum peccata nullius sunt momenti. Etenim veritate sic est, siue tu hæc ita, siue aliter senseris, in Dei tamen & hominum oculis, si te cognoscerent, factus es vilior & abominabilior quam pannus ille præfatus, sanie, putredine, & sterquilinijs infectus. Humiliari igitur te in omnibus oportet, ac nouissimum virorum abs te ipso te reputari, ad eod vt neque hominis, sed ne creaturæ quidem nomen tibi audeas vsurpare, quo post hac indignum te æstimes. Si igitur non humiliaris, aut si spiritali luctu non contaris, saltem ex hoc humiliare, quia ad eod durus, ad eod superbus & obstinatus es, vt non possis humiliari. Itaque te inspicias, tanquam cadauer putridissimum, vermibus, foetore, sanie, & omni abominatione plenum, quod sine auersione vultus & nausea cerni nequit. Et hoc modo exerceas te ad humilitatem, vt considerata malorum tuorum infinita multitudine, in contritione, luctuque omnines delectationes, omnes inordinatas aut creaturales affectiones, omnium exteruarum consolationum, atque omnium quæ extra Deum sunt, desideria occidas. Nihil tibi remaneat, præter velle semper vilificari & despici, & non posse obprobrijs saturari, velle ab omnibus cõculcari, vilissimus reputari: omnibus præterea iniurijs, persecutionibus, aduersitatibus, derelictionibus credere te esse dignum, nec super inferentes tibi huiusmodi indignari, sed gaudere & gratias agere, pro inuenta tuæ purgationis occasione: insuper eum plus diligere, qui te persequendo, aut contemnendo, aut increpando, etiam iniuste te durius præmit, hoc est, qui animæ tuæ purgationem (quam tibi in homine illo transmittit Deus) vberius operatur. Neque enim vlli imputare debes homini, quod te persequitur, quâdo quidem omnes creaturæ, non homines tantum, in creatoris vltionem de te deberent sumere supplicium. Itaque hoc modo, etsi non semper in tua mala, & in vilitatem tuâ intendere potes, tamen sæpius id efficias, & præsertim quando complacentia aliqua, propria subrepat, aut motus displicentiæ siue iracundiæ

VI  
6

tundix, affurgit in corde contra proximum, in hanc tuipsum considerationem prorumpit, dicendo: Ecce tu talis bestia, & talis, non solum hoc, sed & gehennam, atque omnium damnatorum poenam in oculis Domini iuste meruisti, quanto magis hoc paruum quod ille frater non nisi missus à Domino, tibi facit? Dic tibi: Heu, cur indignor fratri, tot offensionibus Deo obnoxius? An irascendum fratri, pro tam leui culpa in te commissa, quando interim tu tot annis Christum tuis facinoribus blasphemus? Dic tibi: Dominus probat, vel purgat me. Iam habeo occasionem sustinendi, iam gaudeo inuenisse quod semper desiderabam. Nihil tamen penitus possum, quocumque etiam modo, aut vellem cogitare, nisi te auxiliante dulcissime Domine, amantissime Iesu. Considerationem malitiae & vilitatis tuae, agere debes coram Domino, & ibi in contemplatione infinitae bonitatis eius & misericordiae, (ne in confusionem mentis proruas) te accusare & discutere. Oportet enim ut de te, & de omni vita tua funditus desperes, & plenissima rursus atque securissima confidentia totum te Deo committas, maxime eidem confidens. Hic quomodocumque tecum egerit, crede firmiter hoc fore tibi vtilissimum & perfectissimum. Crede etiam Dominum parcere vellet tibi ac misereri, non solum in hoc quod omnes remittat iniquitates tuas, verum etiam si fidelis permaneris, si humiliando te, si accusando te, si se, hoc est. Christum ipsum imitatio perseveraueris, ad perfectionem iuxta mensuram tibi congruam eius te benignitas perducatur. Ceterum peccata tua tecum rememorari tantum, aut te ipsum absque divinae bonitatis respectu intueri, est in mentis obscuritate te ipsum inducere. Coram Deo igitur, & cum illo tua plaga peccata. Ante illum expende, illi narra quantum deliqueris, eidem contra te conquerens, eius misericordiam inuocans, te accusans, ipsi supplicans, atque eidem te resignans ad omnia. Hoc modo de peccatis medians, plus illuminaberis, citiusque ab eisdem liberaberis. Cui enim conquereris, aut cui tua narras peccata? Nonne patri misericordiarum, & totius consolationis? Nonne ei qui te creauit, qui sanguine te suo redemit, qui te pascit ab ineunte aetate, & semper tibi benefecit? Sic autem illi tu narres, ut ex animo quoque simul vehementer doleas tam bonum, pium, amabilem, clementissimumque patrem te offendisse: huic tam crebro te fuisse contumeliosum, rebellem, blasphemum atque ingratum: qui tamen ad eum pius, ad eum clemens, adeoque bonus tibi, tanto scilicet, tanquam vili peccatori, tanto que tempore malitiam continuanti, vltro amantissimoque corde peccata dimisit, suam iniuriam dissimulauit, peccata quoque tibi non imputans, nihilominus beneficia sua in te continuauit. Reddidit enim tibi pro malis bona, pro contumelijs gloriam, abominaciones tuas, quae eas non videret, tolerauit. Vocans, imitansque te, tam beneficijs quam terroribus ad poenitentiam te expectauit. Tot gratias, totque beneficia gratis in te cumulans, ex peccatorum tandem te vortagine extraxit. Quid dicam, quod interim tot ingratitude in tuis pepercit? quod multis à tentationibus te eripuit? à pluribus praeseruauit, quod postremo aeterna bona pollicitus est? Ah adiuua me Domine Deus meus, fortuna mea, spes mea, refugium meum, & misericordia mea. Inter duo eligenda id eligendum est, quod magis humiliat, propter virtutem. Absque enim humilitate nescio quare sit quae aedificet. Et quid tibi accrescit, si multos etiam aedificaueris, tu verò in de nihil propterea proficias? Si enim lucratus quis vniuersum mundum, seipsum autem perdat, ac detrimentum sui faciat, quid illi hoc proderit? Opera quaecumque in quan-

Humiliatus & contemptus quid dicere debeat.

Malitiam suam ut eoram Deo considerare debeat homo.

2. Cor. 1.

Bonitas Dei quanta peccatoribus exhibita.

psal. 58.

Absque humilitate nihil aedificat.

Lucas. 9.

TT

Alibet

Humilitas  
in externis  
moribus nō  
semper con-  
sistit.

Humilitas  
vera quæ sit

Qualem se  
ipsum hu-  
milis debeat  
reputare.

talibet sint perfectione seu excellentia constituta, sine humilitate, nullæ acim-  
pura sunt. Illud igitur crede vtilius quod est humilior, illudque eligendo præ-  
fer. Ad humilitatem profectus non modicus est, si te superbissimum, vanissi-  
mumque sentias, & pro superbia te indesinenter reprehendas, iudicesque. Ha-  
militas in externa morum exhibitione, hoc est, in submissione vocis, in blandi-  
cijs, (ne dicam adulationibus) verborum, in verbali sui accusatione, in corpo-  
ris humiliatione, & huiusmodi, externis sita non est. Sæpe numero enim contin-  
git, vt qui se in prædictis maximè humiliant, impatientissimè, hoc est, super-  
bissime ferant, si vel paulò minor quam velint. de se habita fuerit estimatio.  
Humilitas vera hæc est, vt optes latere, nesciri, vilis non humilis reputari, vt-  
rubeas fugiasque laudari, gaudeas non reputari, atque velis etiam des-  
pici. Aliorum sensum & voluntatem tuis præferas. Alijs libenter acquiescas, pa-  
tienter cedas, atque de eisdem, quam de te, melius sentias. Fratres & proximos  
omnes dilige honoraque eos cum tui ipsius humiliatione, & illorum reuerentia,  
quam illis impendas, assurgendo, supportando, cum verecundia coram illis ra-  
cendo, dicasque tibi ipsi continue. Tu vile mancipium, ij sunt domini tui, his  
debes obedire sicut dominis tuis, hos debes vt patres diligere. Verè dico tibi fra-  
ter superbe, non est tanta distantia inter dominum, & seruum quanta inter illos  
& te. Vis id manifestius scire? Inspice tu peccata, & abominationes tuas præ-  
teritas. Nonne peccator & morti obnoxius coram Deo huc aduenisti? Vide iam  
ediuerso eorum innocentiam, qui tamen eum seruiore Deum diligunt, tu verò  
post omnia mala tua persistas desidiosus. In corde tuo, semper debet hæc opinio  
versari, idque maxime, quando fueris inter homines & etiam ante oculos Dei.  
Ego sum omnium peccatorum nouissimus, inter quantoscunq; sceleratissi-  
mus. Spuma totius iniquitatis, purgamentum & perispeuma omnis creatura vi-  
lissimum in oculis Dei & hominum. Aded enim in anima & corpore vilis sum,  
& aded contemptibilis, vt omnibus effem meritò importabilis per iusticiam viam,  
vt pote caduere omni foetidior Ego & asinus vnum sumus. Si aliud videbitur  
tibi, quam quod omnes cogantur naves suas præ turpitudine tua obturare, &  
omnia, quæ facis aut incipis sint foetor, putredo & abominatio ad nauseam pro-  
cantia, nimis superbus es. Dic ided Ego huc veni vt satis obiurgari, despici, huc  
illuce pelli, omnibus seruire, omnibus me subijcere, nemini contradicere, sicut  
nouissimus & despectissimus seruulorum in curijs principum haberi valeam.  
Quicquid igitur in corde aut opere, huic meæ intentioni contrarium inuenere,  
non sustinebo, sed vt apostatam me ad propositum reuocah. Pannus, vili  
pauperculus, seruulus, inter magnates despicietur, illudatur, tunditur & non aper-  
rit os suum, imò gaudet quod non ex toto abijcitur siue excluditur: sic tu inter  
fratres aut in congregatione constitutus quantiscunq; afficiaris iniurijs, di-  
cas: Libenter tacebo & sustinebo, vt merear supportari, & non ex toto a cetera  
dominorum meorum excludi. Item: O quam bene mihi est, quam felix sum,  
quod fratres adhuc sustinent me, tanti viri, tam foetidum, laprosam & mon-  
drosam. Ego sum sicut lutum putridum, & sicut sanies fetida inter margaritas.  
Statue in corde tuo inter eos inter quos visus, hospitem te esse & alienum, ad  
quem nihil de regimine domus pertinet, vt absque vlla turbatione, & damna  
& emolumenta, tristia & iucunda videre æquanimitè valeas. Humilia te quan-  
tum uales. Nimis enim adhuc superbus es, quantumcumq; te humiliaueris. In-  
circa

terro amplectere omnes modos licitos te humiliandi, vt tandem in affectum trahatur ipsa humilitas. Sine illa enim tibi nulla est salus.

*Humilitatem quantopere Sancti quique coluerint: quenam illi aduersentur: vt que correptus quis gerere sese debeat.*

## CAPVT XXXVI.

**S**ancti omnes grandem curam super custodia humilitatis suae posuerunt. proinde si quid (quod à ceteris mirari laudariue solet) habebant, aut agebant, illud magnopere curabāt celare, ne per humanam laudem, sibi labor & fructus omnis periret, hoc est, ne ipsi inter eos, quibus noti essent, apud se inaniter gloriarentur: quare non solum carerent merito, sed etiam supplicio fierent digni. Vehementer nocet superbire, aut de Dei donis Deo, non gloriam dare: Dei enim aut amittet dona, qui huiusmodi est, aut in malum suum possidet. Consultissimum igitur est omnia sua abscondere, hominū fugere opinionem, velle nesciri atque vilem reputari. Hi qui praesunt & seniores quorum exemplo viuunt, habent tueri famam propriam: sed iuuenis, & praesertim monachus, potest negligere sapius famam suam, id est, non se excusare, sed innocenter pati pro custodia humilitatis, aut propter virtutem patientiae acquirendam, & hoc in paruis & communibus defectibus, qui non tantum scandalizant, quantum impatientia & excusationes. Esto igitur, quantum vanam gloriam quid attinet, sicut mortuus, vt nihil tua referat, an honor an ignominia tibi fiat. Hæc vt superbissima cogitatio tua coram Deo, vt te vermiculum vilem reputes. Si vis humilitatem habere, sine qua non potes proficere, tunc ama nesciri, simplex & idiota reputari, oburgari sine reuerentia & fauore, vt vilis communisque frater culus tractari. Quando sentis complacentiam aut vanam gloriam tibi subrepere de bono aliquo, statim dicas: non meum sunt hoc Domine Iesu, sed tua pietatis, qui sola gratuita bonitate misertus es vilissimi peccatoris, condescendens mee miseriae ac duricie, vt beneficij me ad tui amorem allicias. Etiam statim refundas in Dominum beneficium hoc, dicens: Domine Iesu, tuae hoc commendo, refero, & resigno pietati, hoc tuae custodie committo, quia sentio per superbiam meam spoliari me tuo dono, meque propterea raptorem fieri thesauri tui: conserua me in humilitate, & in tua custodia. Custodia autem has sit misericordissimum vultus lateris tui Domine Iesu, & ad pedes virginis Mariae benedictissima matris tuae ac meae. Cum videris alium proficientem plus quam te, noli inde triftari, ita vt inuideas fratri gratiam vel profectum huiusmodi, quem tu ipse habere desideras, licet assequi non possis, quia in curia terrestri regis feruentium, aulicorumque magna est differentia. Alij enim consiliarij, alij cancellarij, alij dapiferi, alij coci, alij stabularij sūt. Hoc modo & in curia coelestis regis, nō xq̄ omnes sunt praedestinati. Aliqui summi, alij medij, alij infimi, omnes tamen sunt in gloria Dei. Et ideo cogita si te Deus nō vult habere summū, vel mediū, ad huc tamē gratias agere debes, si sua ex gratia fecerit te de suis amicis minimū. Non tamen propter hoc indiligentior fias, neque à desideriorum bonorum seruire te pescas: sed vt alijs non inuideas, sicut stabularius aut coquus regis nō inuidet gloriam eorū, nec principi fauorem apud regē, maiorē scilicet

Humilitate  
quanta cura  
sancti qui-  
que serua-  
riat.

Superbia quā-  
tum noceat.

Famam in  
paruis negli-  
gere, quam  
excusare quā-  
do praestet.

Humilitas  
quomodo  
obtinenda.

Quid dicen-  
dum cum a-  
liquam in  
nobis com-  
placentiam  
sentimus.

Inuidia aut  
triftitiam nō  
esse habendā  
de profectu  
aliorum.